

pie, misericorditer, amanter, immo, fere devote tuetur ut, dum subditum stimulat et blanditur, et ad emendationem suavissime suadet ducitque. *Nihil tam probat spiritualem virum, quam peccatorum tractatio*<sup>1</sup>.

b) Bonum exemplum Pastor fidelibus adeo praebeat ut eius vita universa indirectum, at efficacissimum, illis monumentum sit. At de hoc iam diximus alibi<sup>2</sup>.

c) De corrigendi arte erudiatur Pastor, quum persaepe ex admonitione inexperti ducis, in baratrum deductus sit subditus desperationis<sup>3</sup>. Ut, enim, persaepe, potiusquam morbo, medici inexperientiae aegroti mors tribuenda est, ita, interdum, potiusquam a peccantis pertinacia, a correctoris imperitia emendatio in discrimine adduci potest. Ut, igitur, medicus non sibi doctor est, sed aliorum instruitur doctrina, ita tum ex divinis, tum ex humanis fontibus corrigendi artem Pastor addiscat.

d) Sit Pastor prudens, quum nonnumquam ex imprudentia Pastoris ii qui ad summam virtutis arcem et perfectionis fastigium facile conscendissent evanuerunt..., et, quod deterius est, a sancto proposito resiliunt<sup>4</sup>. Prudens, enim, Pastor leges non multiplicabit vanas, [quarum multitudo christianae observantiae negligentiam suadet, atque frequentes requirit admonitiones]: fideles colet et ab illis coletur, nimiam observantiam haud ipse exiget, sed suavitatem cum severitate, timorem cum amore, iustitiam cum misericordia, munus cum caritate, veritatem cum fide adeo coniunget, singulorum ingeniis necessitatibusque se accommodabit, eis pro adiunctis morem geret, ut multas sibi taedio plenas ac fidelibus ingratas correptiones cavebit, quibus, [sanctae caritatis gratia] pacem paroeciae comparabit. Sed de hoc superius diximus.

## Articulus II.

### DE CORRECTIONIS CONDITIONIBUS BONO IN PASTORE REQUIRENDIS.

Ad correctionis finem feliciter obtinendum quaedam ex Pastoris parte requiruntur conditiones quas ita indigitamus:

- I) Iustitia,
- II) Discretio,
- III) Caritas.

De his correctionis conditionibus omnibus prae partes agendum.

<sup>1</sup> S. Augustin. in *Epist. ad Galatas*, cap. 6.

<sup>2</sup> Cfr. indic. alphabetic. *Exemplum, Pastor*.

<sup>3</sup> S. Laurent. Iustin., *De Instit. et Regim. Praelator.*, cap. 11.

<sup>4</sup> Id. *De Disciplin. et perfect. monast.* Cap. 9.

### § I. — De iustitia in correctione servanda, et primum contra alienas ac proprias passiones obsistendo.

SUMMAE RERUM. — 129. Generalis ad rem ratio indigitatur. — 130. Quae propriae passiones in correctione devitandae sint. — 131. Peculiares in re industriae quae. — 132. De alienis in re passionibus devitandis, seu de delatione ac delatoribus. — 133. Delatorum variae species. — 134. Eorum notae. — 135. Quomodo eorum insidiae arcendae.

129. — Pastoralis in regimine nulla res est quae iustitiae flamine magis egeat quam correctio, Pastoribus perardua, animabus vero peringrata. Hoc, enim, in munere si iustitia defecerit, potiusquam assequendae salutis adiumentum, maioris perversionis instrumentum correptio erit. Quod sane, ut per se perspicuum, haud demonstratione eget. — Ut autem correctionis fundamentum iustitia sit, sequentes conditiones Pastorem servare oportet, nimirum:

- a) Suas contra passiones sese munit;
- b) Contra alienas se defendat;
- c) In inquirenda ac discutienda culpa sit iustus.

130. — Suas contra passiones se praemunit Pastor; nam quum mundus ipse esse a vitiis debet qui curat aliena corrigere<sup>1</sup>, ut corrector se ipsum primum corrigat omnino decet: enimvero, interdum, non tam fidelium negligentiae, quam correctoris ineptitudini errores tribuendi sunt. Igitur:

a) Superbia in correctione quam maxime devitanda; secus, enim, cum haec veritatis obstaculum ac omnium vitiorum mater sit, iustitiam ipsam funditus conficiet. Tunc, enim, Pastor, dum de culminis reverentia gloriam affectat honoris, summa quae videre nequit, fidelibus nuntiare non potest: quum sub studio corrigendi erumpat libido apparenti, nihil nisi se ipsum corrector spectat, et potiusquam ad emendationem moveat, ad despectum deprimit, atque veluti brevissimo ad gloriam itinere aliorum castigatione utitur. Tunc Pastor tremendus magis quam mitis, iudex quam consolator esse mavult, in se alienae infirmitatis compassionem trahere et christifidelium imbecillitati misereri nescit, et dum caritatis viscera non habet, sub specie iustae increpationis, eorum bonum pessumdat. Enimvero nec culpas ipse distinguit, nec personas spectat; suspiciones pro certitudine habendo, dubia pro certis punit; ut redarguat culpas fingit, et ex fictis culpis sibi puniendi campum parat. Necessae, igitur, est ut Pastor in quibus alios reprehendit,

<sup>1</sup> S. Gregor. Magn. in *I. Reg.* Lib. III, Cap. 2.

*suae cogitationis elationem inclinet*<sup>1</sup>, quia, si sublimiorem se coeteris conspiciat, eo peius ruit ac ruere facit.

b) Aemulatio quoque et invidia in correctione devitandae, quibus, non veritate, sed passione duce, malitia Pastor obcaecatus, malum quod non videt ad accusationem quaerit. Tunc [canino veluti more] fidelem uti praedam insequitur ipse, muscas pro elephantibus habet, et ad vim usque erumpit.

c) Ira ac furor quoque a correctione arcenda, quibus dum Pastor culpas ulciscitur, ulciscendi furore ipse superatur, quo non correctio delinquentis, sed eius magis oppressio sequitur. Dum, igitur, Pastor aliena ipse corrigit, eius mens a suo aestu prius defervescat; intra semetipsum zeli sui impetum [tranquilla aequitate] prius componat, ne si ad animadvertenda vitia [abrupto furore] trahatur, peccatum corrigendo peccet, neve qui culpam diiudicando insequitur, immoderate feriendo pereat. Vitiis quippe in correctione iracundia ita debet menti subesse ut iustitiae executionem non dominando praeveniat, sed famulando adeo subsequatur, ut rectum iudicium impleat, non possidens praecurrat. *Domine ne in furore tuo arguas me*<sup>2</sup>, Psalmista cecinit; *hoc est argue me, sed non in ira, corripe me, sed non in furore*<sup>3</sup>. Idque recte; nam *cor non mollit furor, iracundus auget morbum, mitis autem imminuit*<sup>4</sup>. Secus, enim, dum corripiendo irascimur, amplius oneramus peccantem quam quod mereatur, ac e Pastoribus in lupos convertimur pacisque munus funditus diruimus. Haec vero agendi ratio in his qui tantam vesaniam nomine zeli palliant et colorant [quo iis quae divina sunt ad humanam explendam libidinem pessime abutuntur] multo magis improbanda. *Sit, igitur, omnis homo... tardus ad iram*<sup>5</sup>; *ira, enim, viri iustitiam Dei non operatur*<sup>6</sup>; *correptio mendax in ore contumeliosi*<sup>7</sup>.

d) Diffidentia ac praeventio nimia devitentur, quibus semper falli quidam [mentita specie] timent, veritatem autem repudiant, ac non quae sunt, sed quae esse forte cupiunt considerant. Hac iniusta cupiditate, non opera tantum scrutant, sed mentem quoque ac animum [quae Deo tantum nota sunt] curiose interpretantur, quo pacto, tam saepe decipiuntur ut vanas species pro argumentis existiment. — Nec satis, nam quum bonum in simplicitate agi non posse isti putent, singulis in operibus [quamvis simplicibus] corruptas suspicantur inten-

<sup>1</sup> S. Gregor. Magn. *Moral.* Lib. XXIII, Cap. 13.

<sup>2</sup> *Psalm.*, VI, 2.

<sup>3</sup> S. Petrus Chrysolog., *Sermo* 45.

<sup>4</sup> S. Ioan. Chrysostom., *Homil.* XV in *Math.*

<sup>5</sup> Iacob. I, 19.

<sup>6</sup> *Id. Ibid.* 20.

<sup>7</sup> *Eccles.* XIX, 20.

tiones; qua mala arte, dum iustitiam laedunt, et a fidelibus pacem auferunt. *In via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes stultos aestimat*<sup>1</sup>, et cum pax sit, semper insidias suspicatur<sup>2</sup>. — Huius nimiae diffidentiae causae in malitia et ingrata experientia ab Angelico indignantur, quas heic persequi, cum longum nimis sit, omittimus. E contrario [idem S. Doctor monet] *iudicandum est de rebus et personis ut sunt, et, nisi manifesta ratio in contrarium appareat, bonos esse homines habendos*<sup>3</sup>. Attamen ne quid nimis; nam [ut D. suadet Augustinus] *ille qui pie et iuste vivit, qui rerum integer aestimator est, in neutram partem declinet*<sup>4</sup>; secus, enim, e contrario, nimiae simplicitatis detrimenta sibi ac paroeciae Pastor comparabit. Ad rem vero S. Ioann. Chrysostomi monitum recoluisse iuvabit: *malevolae suspensiones sunt invidentium, benevolae gubernantium*<sup>5</sup>.

e) Et ultio quam maxime in correctione devitanda; nam, *etiam iuste vindicandi causa, aliquid punire execrabile est*<sup>6</sup>, quod non tantum voce, sed et scripto, interdum, evenire consuevit. At Sancti Viri omnes secus fecere, quod et Moysen servasse legimus qui, post tot exantlatos in Populo Dei labores, cum ab Israelitis pessime haberetur atque vituperaretur, nullam non modo sibi quaesivit ultionem, sed et pro ingratis filiis Deum exoravit ad Tabernaculum confugiens ibique clamando: *Obsecro... aut dimitte eis hanc noxam, aut, si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti*<sup>7</sup>. *Honestum ac magnum vindictae genus esse ex corde ignoscere*<sup>8</sup> pro certo habeas: sicut, enim, vindicare pusilli, parcere magni animi est.

131. — Ad passionum in correctione exsuperandos effectus quae sequuntur recolere iuvabit:

a) Divini iudicii Pastor memor sit, nam *iudicium durissimum his qui praesunt fiet*<sup>9</sup>, et *eadem mensura qua mensi fueritis remetietur vobis*<sup>10</sup> ipse Christus protestatur.

b) Quae iuvenis cum esset a suis Praepositis in correptione optaverit Pastor recolat, dicente Scriptura: *intellige quae sunt proximi tui ex te ipso*<sup>11</sup>; nam *iustitia non factura est alteri quod sibi velit negatura*<sup>12</sup>. Quod primae prudentiae praeceptum, uti per se perspicuum ac in regimine consuetum, pluribus explanare haud necesse est.

<sup>1</sup> *Eccles.* X, 3.

<sup>2</sup> *Iob.* XV, 21.

<sup>3</sup> II, II, q. 50, art. 4.

<sup>4</sup> *De Doctr. Christ.* Lib. I, Cap. 27.

<sup>5</sup> *Hom.* 3, *De Fide Annae.*

<sup>6</sup> Sixtus Telesphor., *Sent.* 252.

<sup>7</sup> *Exod.* XXXII, 32.

<sup>8</sup> S. Ioan. Chrysostom. *De quatuor virtutib.*

<sup>9</sup> *Sapient.* IV, 6.

<sup>10</sup> *Matth.* VII, 2.

<sup>11</sup> *Eccles.* XXV, 18.

<sup>12</sup> S. Bernardus, *De Consid.* Lib. II, Cap. 4.

c) In latus naturae contrarium atque propriam contra moralem, aut physicam indolem obnitendum est. Ad de hoc mox diximus.

132. — Quamvis obstacula quae a Pastoris passionibus in correctione dimanant magni quidem momenti facienda sint, attamen et difficultates quae ab aliorum cupiditatibus in re obvenire solent, haud negligendae sunt. Quamobrem, postquam de primis diximus, ut et de alteris, quarum effectus [ad rem nostram quod attinet] delatione potissimum continentur, breviter sermonem instituamus officii nostri ratio postulat. — Delatio, igitur, quam maxime devitanda ab iis omnibus qui iustitiam veritatemque colere intendunt, quod eo magis hodie servandum, quum *fraus, circumventio et violentia invaluerent super terram*<sup>1</sup>. Locustae, enim, habentes facies hominis, nulli quidem aetati ac hominum generi parentes, honoris spicas corrodunt ac depascunt ubique. Enimvero, quidam qui *putantes se religiosos esse et non refrenantes linguas suas*<sup>2</sup>, quas scientiae morum, prima principia ac naturalis honestas delationis usu exercendas vetant, id tamquam officium putant. Quibus si Pastor attendat, dum veritatem caritatemque offendit, pessimos regiminis errores [misero in modo] cumulabit, ac scorpiones istos, qui universam paroeciam foedant, audaciores reddet.

133. — Ad delatorum varias species [ex quibus aliqua saltem ratione dignosci possunt] indigitandas quod attinet, tum eorum agendi rationem, tum media quibus utuntur describere oportet.

A) Ad eorum agendi rationem quod refert, habentur:

a) Delatores phantasiae servientes qui, quamvis haud frequentes, attamen, quum, nil in eis ratio valeat ac omnia phantasia possit, perniciosissimi extant. Nutantur mutanturque eorum animi passim, ac quidquid sese vidisse, vel audivisse putant [miris verbis] Pastoris statim auribus insusurrant.

b) Pseudo-zelantes qui de mane ad vesperam quae sibi videntur recta enarrando delectantur. Hi, venenatis illis verbis *videtur, fertur, creditur*, quae ipsi tantum revera sibi confingunt uti a multis habita enarrantes, delationem pessimam exercent charitatemque confodiunt.

c) Maligni vero plures numero habentur, qui docuerunt linguas suas loqui mendacium, disertis adversus iustitiam, eruditi pro falsitate; sapientes ut faciant malum, eloquentes ut impugnent verum, qui non comperta sed sua adstruunt, de proprio calumnias innocentiae struunt, caritatisque simplicitatem destruunt.

<sup>1</sup> S. Bernardus, *op. cit.* Lib. I, Cap. 6.

<sup>2</sup> *Iacob*, I, 26.

B) Ad modum quod attinet delatores habentur:

a) Manifesti qui, nude ac irreverenter, quaecumque detractio- nis virus quo vellicari se sentiunt, irreverenter evomunt.

b) Occulti qui, simulatae verecundiae fuco, conceptam malitiam quam retinere non possunt, verbis ac scriptis [et quidem saepe anonymis, sive apocryphis] adumbrare conantur. At quum plus periculi in insidiatore occulto quam in hoste manifesto sit, multo magis ab his Pastor caveat.

134. — Delatorum vero notae, paucis, sic accipe:

a) Hypocritae peritissimi sunt ac, ut melius decipere queant, virtutis larvam induunt. Tunc, ut falsa aptius confingant, a veritate ac dilaudatione incipiunt, utque maxime accusent defectus, eos excusare videntur. Perversis, insuper, recta permiscunt, atque percelebribus D. Bernardi in re verbis utuntur: *Doleo vehementer pro eo quod diligo eum satis, et nunquam potui de hac re corrigere eum! Quoniam per alterum patefacta est res, negare non possum; dolens dico, revera ita est. Grande damnum; alias in pluribus valet: ceterum in hac parte excusari non potest*<sup>1</sup>... Hac ratione, *molliti sunt sermones eius super oleum et ipsi sunt iacula*<sup>2</sup>, et scorpionis ad instar, dum blandiuntur a facie, pungunt a cauda.

b) Pastoris utilitatem protueri se simulant, illud Iudaeorum ingeminando: *Venient Romani et tollent nostrum regnum*<sup>3</sup>, vel Amanni illud de populo Dei: *novis utens legibus ac caeremoniis, insuper et Regis scita contemnens: et optime nosti quod non expediat regno tuo ut insolenscat per licentiam*<sup>4</sup>. Tunc de quibusdam eventibus stuporem mentientes, ac fideles Pastorem parum venerantes quaerentes, opportunam christianaе observantiae instaurandae occasionem sese invenisse adulatores asserunt, quo ad ultionem eum incitant, ex qua sibi victoriam sperant. At [Pastor meminerit] *impia sub dulci melle venena latent*<sup>5</sup>.

c) Humana imbecillitate ipsi abutuntur, quae tanta est, ut mendacio magis quam veritate, suadeatur.

d) Pastorum superbia utuntur, qua ab incoeptis, quamvis iniustis, adeo perdifficiliter ipsi recedunt ut, errores erroribus cumulando, in culparum baratrum magis magisque in dies demergantur. Delatores, igitur, prius in culpam Pastorem inducunt, postea [ut prima fulciantur] novos in errores eum pertrahunt, et deinde [immodica adulatione] illum omnino perdunt. Ille vero [superbia veluti obcaecatus] adulantes potius-

<sup>1</sup> *In Cantic.* Serm. 24.

<sup>2</sup> *Psalm.* LIV. 22.

<sup>3</sup> *Ioann.* XIII. 48.

<sup>4</sup> *Esther*, III, 8, 9.

<sup>5</sup> *Ovid.*, *Trist.*, Lib. II.

quam admonentes diligit, ac, infidis sese committens adulatoribus, a veritate iustitiae late aberrat. At Sapientiae monitum Pastor recolet: *Subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas*<sup>1</sup>.

e) Pastoris simplicitate ac bonitate ipsi abutuntur, quum non solum subiectos Regibus nituntur opprimere, sed datam sibi gloriam non ferentes, in ipsos qui dederunt moliuntur insidias<sup>2</sup>.

135. — Ad delatorum cavendas insidias sequentia prae oculis habeantur:

a) Credulitatis noxam Pastor recolat, qua sibi ac christi-fidelibus [misero in modo] infandam perniciem comparabit. Quod eo magis perniciosum quum aures Principum simplices, et ex sua natura alios aestimantes, callida fraude decipiuntur. Quae res et ex veteribus probatur historiis, et [Pastor attendat quaeso] ex his, quae geruntur quotidie quomodo, quorumdam suggestionibus, Regum studia depraventur<sup>3</sup>. — Huius vero credulitatis caussae et effectus:

I) in nimia Pastoris bonitate, in suspitione nimia, indolentia, dominationis ac obcaecationis spiritu continentur, quae omnia haec innuisse erit satis. At tum ingenuitatem, tum acediam, tum superbiam ac praeventionem devitare Pastoris est, qui et unius auris vir haud sit.

II) Credulitatis in Pastore effectus, in eius auctoritatis imminutione, irascibilitate, errorum cumulo, subditis tranquillitatis pacisque ablatione consistunt.

b) Credulitati nimiae ne Pastor locum cedat. Etenim omnia fama trahente maiora sunt vero<sup>4</sup>, et tum optimum, tum pessimum perraro quidem inveniuntur. Pastor, igitur, [colloquentis spectata probitate] ac illud Augustini prae oculis habendo: *Veritas et veritas multi dicebant mihi, et nunquam erat in eis*<sup>5</sup>, centum ex verbis, unum tantum retineat. Ut, enim, omnibus in actionibus tardum longumque esse expedit, sic in fide et in assensu praestando<sup>6</sup>. Enimvero frons, oculi, vultus per saepe mentiuntur, oratio vero saepissime<sup>7</sup>, et ut vero credibilis appareat, mendacii proprium est.

c) Delatori os Pastor claudat quod *maledictione, dolo et amaritudine plenum est*<sup>8</sup>, iurgia provocat<sup>9</sup>, operatur ruinas<sup>10</sup> ac occidit ani-

<sup>1</sup> Ezech. II, 6.

<sup>2</sup> Esther. XVI, 2, 3, 4.

<sup>3</sup> Ibid.

<sup>4</sup> Curtius, De Rebus Alexandri, Lib. IV.

<sup>5</sup> Confess. Lib. III, Cap. 6.

<sup>6</sup> Lipsius, De Doctrina civili, Lib. IX, cap. 19.

<sup>7</sup> Cicero, De Natur. Deor. IX.

<sup>8</sup> Psalm. X, 7; Id. VIII, 3.

<sup>9</sup> Prov. XVIII, 6.

<sup>10</sup> Id. XXVI, 28.

mam<sup>1</sup>. Intuere igitur, o Pastor, Magistrum sic facientem: non parat aures ut audiat, sed flagella quo feriat, verba nec facit, nec recipit<sup>2</sup>. Quod et D. Sapientia monet: *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam*<sup>3</sup>, qui imponit stulto silentium iras mitigat<sup>4</sup>; linguam nequam noli audire<sup>5</sup>, remove a te os pravum<sup>6</sup>, cum detractoribus ne commiscearis<sup>7</sup>. — Ponat, idcirco, Pastor custodiam ori suo cum consistat peccator adversum se, et ad hoc divinum auxilium sibi a Deo flagitet cum Propheta clamando: *Pone Domine custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis*<sup>8</sup>, vel cum Esther: *Tribue [Domine] sermonem compositum in ore meo*<sup>9</sup>.

d) Severe puniantur delatores quum ubi isti scorpiones tolerantur, nullam pacem, quietem nullam esse possit. Immedicabile, enim, corpus recidendum est ense, et membri in corpore mortui abscissio potius necessaria est quam medicina<sup>10</sup>. Calumnia, enim, conturbat sapientem et perdet robur cor illius<sup>11</sup>. Eruite, ergo, oppressum de manu calumniantis, ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea et succendatur, et non sit propter malitiam studiorum vestrorum<sup>12</sup>.

e) Homines in genere, ac praesertim delatores, Pastor agnoscat: nam non omnes quos homines appellamus homines sunt, sed pauci sunt qui homines sint<sup>13</sup>. Quod, mordaciter profecto, at forsitan veraciter quidam iteravit monens: *Homo homini lupus, sacerdos sacerdoti lupior, monachus monacho lupissimus*<sup>14</sup>.

f) Se fallere ac falli posse omnino sibi suasum Pastor habeat; dubium, enim, veritatis initium esse philosophi monuere omnes.

## § II. — Qua ratione in accusationibus discutiendis se gerere Pastor debeat.

SUMMAE RERUM. — 136. De accusationis discutiendae necessitate. — 137. Quomodo in re Pastor se gerere debet. — 138. Qua ratione cum accusato agendum. — 139. De defensionis libertate ipsi concedenda. — 140. Quomodo in sententia ferenda Pastor se habere oporteat. — 141. Conclusio.

136. — Ut antequam errantes corrigantur, eorum culpa<sup>1</sup> discutiendo, inveniatur opus esse patet; enimvero iudicii ordo pervers-

<sup>1</sup> Sap. I, 11.

<sup>2</sup> S. Bernardus, De Consideratione, Lib. I, Cap. II.

<sup>3</sup> Prov. XXVI, 4.

<sup>4</sup> Id. XXVI, 10.

<sup>5</sup> Eccles. XXVIII, 28.

<sup>6</sup> Prov. IV, 24.

<sup>7</sup> Id. XXIV, 21.

<sup>8</sup> Psalm. CXL, 3.

<sup>9</sup> XIV, 13.

<sup>10</sup> S. Gregor. Magn. in Sept. Psalm. Poenitent. Psalm. I.

<sup>11</sup> Eccles. 8.

<sup>12</sup> Hierem. XXI, 22.

<sup>13</sup> Plato, Szig. IV.

<sup>14</sup> In Proverbiis.

titur si ante inventam culpam sententia proferetur. Pastor, igitur [praesertim cum de re gravi agatur] ut fideles ad bonam frugem apte adducat et quidquid Omnipotenti Deo placitum fuerit decernat, per veritatis cribrum accusationem secernere satagat. Quod et Deus servasse perhibetur qui, antequam Sodomam et Gomorram de eorum crimine puniret, ait: *Descendam et videbo utrum clamorem qui venit ad me opera compleverint, an non est ita ut sciam*<sup>1</sup>. *Crimen, enim, quod apertis quibusdam indiciis noscitur, antea iudicandum non est quam apertissime commonstretur*<sup>2</sup>.

137. — Ad accusationem vero discutiendam sequentia ad rem principia prae oculis habeantur:

a) Relationem reum ac accusatorem inter sedulo exquirat Pastor, nimirum, non praesentes tantum, sed et antea, immo et futuras apte ipse perpendat. Quisnam, igitur, accusator, quisnam accusatus sit, quaenam probationis argumenta adducantur, quae accusationis vis sedulo Pastor consideret. Quum, enim, persaepe propriae vel aliorum vindictae accusator minister sit, ac veritatis odium accusatus patiat, potiusquam rationibus, adeo coniecturis probatio, interdum, fulcitur, ut nil aliud quam genuina delatio exerceatur. *Viri detractores fuerunt in te ad effundendum sanguinem*<sup>3</sup>.

b) Qui accusationes accipit de eo qui palam ac publice iterare nolit quae clam retulit [ut plurimum] suspicetur. Quamplurimi, enim, *sagittant in occultis immaculatum*<sup>4</sup>, et quia teste carent, et facinore se carere putant. *At quisquis veraciter loquitur* [D. monet Gregorius] *semetipsum innotescere non debet formidare*<sup>5</sup>. Id autem non semper, sed ut plurimum diximus, quia, *cum veritas odium pariat*<sup>6</sup>, adiuncta esse possunt quae privatis in accusationibus aliter agendum suadeant.

c) Accusatoris nomen accusato ne pandatur; secus, dum odium ultionesque crescunt, illis qui, observantiae tantum studio, culpas renunciant, claudetur os.

d) Quo iunior atque christianae observantiae minus studiosus accusator est, minus ei credendum. Iuventus, enim, plurimum phantasiae concedit, eique vita minus exemplaris suspicionis est.

e) Quo gravior culpa, eo difficilius credenda, quum, uti diximus, pessimum quodque raro habeatur.

<sup>1</sup> Genes. XVIII, 21.

<sup>2</sup> S. Gregor. Magn. in I Reg. Lib. V, Cap. 4.

<sup>3</sup> Ecclès. XXII, 9.

<sup>4</sup> Psalm. II, LXI 5.

<sup>5</sup> Epistolar. Lib. VI, Indict. 4, epist. 31, ad Ravennat.

<sup>6</sup> In Prov.

f) Gravissimis de criminibus accusatio scripta exigatur, quo Pastor sibi consulat, ne imprudenter egisse videatur.

g) Ad rem inquisitiones paucae sint et nunquam accusanti demandentur, qui [ut patet] potiusquam veritatis, proprii asserti argumenta quaeret. Cum vero id plurimis tradatur munus, ut invicem illi rem ignorent oportet.

h) Opinionem quam de accusato Pastor habet, accusatori ne adaperiat, quum si bona magis invidia excitetur, si mala vero fuerit, accusatio augeatur fulciaturque.

i) Tandem [uno verbo] adeo rei personam Pastor induat atque accusato ita consulat sicut sibi consultum vellet; qua ratione *Deus erit in latere suo et custodiet pedem eius ne capiatur*<sup>1</sup> *in verbo indisciplinato*<sup>2</sup>.

138. — Ad culpam cum accusato discutiendam quod refert Pastor:

a) dubia uti dubia tradat; secus [correptio, enim, omnibus quam maxime ingrata evadit] quum quae male exaggerata sunt accusatus infirmet, caeterarum omnes quoque iustarum admonitionum vis evanesceret. Veraciter, igitur, cauteque in re se gerat Pastor, nec tantum numerum, sed et verborum vim ipse perpendat, nihilque subdito vel sibi perniciosum proferat.

b) De mentis animique intentione neutiquam iudicandum, de qua sententiam ferre Dei tantum est; saepe, enim, aliter species facti, et aliter animus facientis sese habent. *Homo iudicare non potest quod videre non potest*<sup>3</sup>.

c) Illicita ne deducantur consecraria, quod habetur quum culpae multiplicentur, incerta uti certa asseruntur, culparum caussae augeantur, unius culpa multis adscribitur, cum falso prophetatur, cum similes omnes actiones simili consilio adscribuntur, et ita porro.

d) Quaestoris munus sibi Pastor ne sumat, quum si *castigare ad exemplum et correctione misericordia, culpa vero inquirere passione... tyrannis sit*<sup>4</sup>. Quidam profecto [qui patres vel matres esse debere obliviscuntur] ut reatus confessionem quoquomodo a subdito extorqueant, utque eius crimen detegant, adeo eum indefesse adoriuntur ac quaestionibus interrogationibusque urgent, laqueis circumire quem reum putant undique satagunt, ut moralis vexationis doloribus accusatum subiicere videantur. Quae plane, quum Pastoris aulam in quaestoris tribunal immutare omnino dedecet, et D. Ambrosio dicente: *non*

<sup>1</sup> Prov. III, 26.

<sup>2</sup> Eccles. X, 14.

<sup>3</sup> S. Augustin. Tract. in Ioann.

<sup>4</sup> Saavedra, Op. cit. Symbol. 22.

*iterum argues et impugnes cuius crimen non deprehenderit*<sup>1</sup>, abominanda prorsus sunt. Qui, enim, accusato neganti cesserit, Deo coram ac hominibus prudentiae suae speciem ostendisse, et pro disciplina, ut plurimum, satis fecisse arbitramur.

e) Uno verbo: coram accusato culpam discutiens ita Pastor se gerat ut cum innocente decet; nam quousque haud culpae evincitur ipse, uti innocens habendus est, et ideo magna cum reverentia habendum. Hoc, enim, in terrestri exilio *quis innocens esse poterit si accusasse sufficiet?*<sup>2</sup>

139. — Praeterea ad defensionis libertatem accusato Pastor concedendam tum naturali<sup>3</sup>, tum canonico iure omnino iubetur<sup>4</sup>; secus enim, non iustitiae zelus, sed saevitia ac furor puniendi erit. Enimvero *non sicut servi sub lege, sed sicut liberi sub Gratia constituti*<sup>4</sup> christifideles sunt. Si quis, igitur, perfunctoria quidem inquisitione praehabita, nullaque discussione praemissa, nullaque demum defensione concessa, reprehensiones per fas et per nefas, ut gratias, misero in modo, hinc inde distribuat, quam procul a iustitia absit, per se patet. *Priusquam interrogas ne vituperes quempiam*<sup>5</sup> monet Sapiens, et *prius audi, postea vide: ad hoc, enim, audimus ut videre possimus*<sup>6</sup>. Nec secus cum adultera Servator Noster egisse legimus qui, quamvis sapientissimus, mulieris culpam iam agnosceret, attamen eam interrogavit et defensionis libertatem ei peramanter concessit. Unam igitur saltem aurem accusato Pastor pandat, iuxta pervulgatum illud effatum: *audiatur et altera pars*<sup>6</sup>. Calumniae, enim, multae, multi iique graves dolores, multaeque lacrymae vitarentur ea si sententia diligentius observetur; levi, enim, tractu iustitiae facies [miserrimo in modo et, ut plurimum, irreparabiliter] corrumpitur. Quod utinam omnes intellexissent! *Dux indigens prudentia* [iterum admonemus] *multos opprimet per calumnias*<sup>7</sup>. — Quamvis vero, cum de re gravi agatur et periculum sit in mora, ex informata conscientia procedere Pastor possit, attamen an condiciones, omnes a canonico iure praefinitae revera habeantur sedulo perpendat ipse, ne, fidelium primordialia iustitiae iura, misero in modo lacessat.

<sup>1</sup> De Officiis, Lib. II, Cap. 24.

<sup>2</sup> S. Gregor. Moral. Lib. I, Cap. 13.

<sup>3</sup> Cfr. nostr. op. *Elementi di pedagogia Eccles.* Vol. 2, Part, II, pag. 170 et seq.

<sup>4</sup> Ad Roman. VI, 14.

<sup>5</sup> Eccles. XI, 7.

<sup>6</sup> S. Augustin. *contra Academicos.* Lib. II, Cap. 5.

<sup>7</sup> Prov. XXVIII, 16.

140. — Hisce praehabitis ad ferendam sententiam Pastor accedat; qua in re quae sequuntur prae oculis habeantur:

a) Rei fama consulatur, nam si *error corrigendus est, ne corrumpatur signaculum Redemptoris*<sup>1</sup>. Idcirco:

1) Neminem adeo de admissis Pastor improbet ut ipse sibi despectus evadat; quo qui increpatur quasi moraliter interficitur, ac adeo opprimitur ut vix redemptionis resurrectionisque spem fovere possit, sed immo passim, in desperationem coniiicitur. Quod sane a correctionis fine absonum omnino est; hac, enim, rei salus, non mors quaerenda semper. — Insuper ne ea se scire quae subditi in mente abduntur, neque [imprudenti ausu] conscientiae animaeque inviolabile sacrarium Pastor violet, neque alios violare sinat. Haec omnia, enim, dum nimis alte feriunt, non sanant, sed immo mortem animis inferunt.

2) Si abdita est culpa [quod habetur etiam quum duobus, vel tribus tantum innotescit] poena quoque occulta sit. *Si solus nosti quia frater tuus peccavit et eum vis coram omnibus arguere, non es corrector, sed proditor*<sup>2</sup>.

3) E contrario, si publica revera sit culpa, *non est occulta correctione purganda, sed palam sunt arguendi qui palam nocent, ut dum aperta obiurgatione sanantur, hi qui eos imitando deliquerunt corrigantur*<sup>3</sup>. Quod et Apostolus suadet: *Peccantes coram omnibus argue ut et coeteri timorem habeant*<sup>4</sup>: *tunc, enim, frater peccans non peccat in se tantum*<sup>5</sup>. Attamen praesertim in pastoralis paroeciae regimine [quod ab ecclesiastico ac religioso diversimode se habet], adeo, circumstantiarum quam maxime attendendum est ut illud *ne quid nimis* servetur, de quo inferius.

4) Reus ne vituperetur; qui tali, enim, uteretur ratione revera Redemptoris signaculum in subdito infringeret, iustitiamque debitam funditus violaret.

5) Acceptio personarum nulla sit; hac tamen ratione [ut dicemus] ut variae spiritualium fidelium aetatis, sanitatis, ingenii, temperamentum, meriti et ita porro condiciones spectentur.

141. — Conclusionis instar Veneratissimi Magistri nostri verba audiantur: *Doctor ut lapsos bene corrigat, prius culpa discutiendo invenit, deinde inventas ferit. Ut ergo feriat ac perspicue et aperte videat, mentis*

<sup>1</sup> S. Augustin., Epist. 185 ad Bonifacium.

<sup>2</sup> Id. Serm. XII, De Verb.

<sup>3</sup> S. Gregor. Magn. *Epistolar.* Lib. XIV, indict. 14, epist. Ad Felic. Episcop.

<sup>4</sup> I Timoth. V, 20.

<sup>5</sup> S. Thom. *loc. cit.* ad I.